

DISSE^TRATI^O
IN AVGVRALIS IVRIDICA
IN
II. F. 45.

706
1788
A7/1

QVAM
QVO ADITVS

AD GRADVM AC HONORES
I. V. DOCTORIS

SIBI PANDATVR

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XXII. SEPTEMBRIS CIOI9CCLXXXVIII
HORA X.

PVBLINE DEFENDET

A V C T O R

IOH. THEOPH. HENRICVS PIRNER
NEOMARCH. SOLDINENSIS.



TRAIECTI CIS VIADRVM,
E. TYPOGRAPHEO APITZIANO.

DISSESSATI
HYACINTHS TAVITRIS

IN

II E 42

640 ADITAS

AD GRADUAM AG HODIORUM

I A DOCTORIS

640 FALMATA

CONFESSIO LIVASTRI TOLORNII ORTENSIS

IN AVTODICO VARIDICO

DI 1741 SEPTEMBER CICICCLXXXVII

HELI

LEADERE DILEXIS

AVOTOR

JOH LUDWIG HYACINTUS RINGER

MONTAEGE STIBERENZ



TRADIDI SIS NIVDRI

OMNIS RUMENIS SISTATUA

ILLVSTRISSIMO
GENEROSSISSIMO
DOMINO
IOHANNI HENRICO
a ZSCHOOCK

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI

QVI EST

A CONSILIIS INTIMIS AC SVMMIS

V E R O

TAM

MVNERVM DIGNITATE

QVAM

MERITORVM GLORIA MAXIME CONSPICVO

FIDELISSIMO PATRIAEC CIVI

SVORVM NATORVM OPTIMO PARENTI

FAVTORVM OMNIUM PRINCIPI

MVSARVM MEARVM PRAESIDIO AC SPEI

CVI OMNIA DEBEAM FAS EST

DECORI NOSTRAE FAMILIAE
NOSTRVM QVEM GRATVLAMVR
AVVNCLQ MEO QVAM MAXIME COLENDO
CEV PATREM QVEM VENERATVR
CVIVS BENEFICIS NON ORBVM SE SENTIT
HASCE STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS
QVA
PIGNVS AC TESSERAM
GRATISSIMI ANIMI
AC
IN SIGNVM
PIETATIS OBSEQVIIQVE FILIALIS
CVM
ARDENTISSIMIS VOTIS
PRO PERENNI TANTI VIRI INCOLVMITATE
OMNISQVE GENERIS FELICITATE
SVBMISSA ANIMI REVERENTIA
SACRAS CVPIT
DEVOTISSIMVS AC DEVINCTISSIMVS
IOH. THEOPH. HENRICVS PIRNER.



LECTORI BENEVOLO S.

Nos homunciones sic - fata secus. —

Desiderio qui olim flagrabat, si in eo foret, per dissertationis inauguralis editionem ac defensionem, sibi ad gradus honoresque doctoris viam ut sterneret, palam faciendi, se non infaustissimo sidere per quadriennium artis boni et aequi studio omnem nauasse operam, illum nunc spem animumque abiicientem, vitaque adeo periclitatum, dura coegit necessitas, hasce pagellas publico submittere iudicio, quae non sine pudore dissertationis inauguralis splendidum nomen arrogare ausae sunt. Multum igitur quoque aberat, ut quid honoris nec non laudis, hisce ex pagellis ad me redundandae, affecta-

rem ac quarerem; vt potius Facultatis illu-
stris iuridicae commilitonumque aestumatis-
simorum indulgentiam, qua tantopere dignus
esse mihi videor, implorare fas putauerim.
Honos cedat saluti, corporisque curae, va-
letudini consulere, iussuque medici dīcto
audiens esse plus arridebat, quam laboribus
ac lucubrationibus, (quas eiusmodi prolixa
commentatio, quam ad exarandam animum
iam iam appuleram, necessario desiderasset),
praematufo fato ereptus, forsitan succumbere.
Vela expansa igitur contrahuntur, stylus,
contra aduersarios iam acutus, hebescit,
sponteque infringitur, et quum semestri,
quod nos manet, cathedram publice ascen-
dere semel iuuat, angustia temporis pres-
sus, haec pauca, pluribus impar, solummo-
do disquisitioni publicae offero, ubiorem
huius quaestioneis excussionem ac defensio-
nem tam diu reseruaturus, animi quando
tranquillitas corporisque firmitas, secundior
vt aura studiis aspiret, patietur.

II. F. 45.

Si contigerit vasallum sine omni prole decedere, adgnatus, ad quem vniuersa hereditas pertinet, repudiata hereditate, feudum si paternum fuerit, retinere potuit, nec de debito hereditario aliquid feudi nomine soluere cogitur, sed de fructibus si quos reliquit, ut de iis debitum soluatur, quo tempore decefferit. (secundum quod supra (II. F. 28.) diximus), considerabitur. Vbi vere filium reliquit, ipse non potest hereditatem sine beneficio repudiare, sed aut vtrumque retineat, aut vtrumque repudiet, quo repudiato, ad adgnatos, si paternum sit, pertinebit; et licet alterum sine altero, retinere non possit, adgnatis tamen consentientibus, potuit dominus eum, si voluerit quasi de novo beneficio inuestire; quo facio licet ei, repudiata hereditate, feudum tenere nullo onere ei hereditario imminentem.

§. I.

Hic ille textus notatu dignissimus, ex quo illa nobilissima iuris clientelaris profecta est quaestio: *Quasnam obligationes ex allodio paterno filius, patri in feudum successurus, propterea subire teneatur, quod per II. F. 45. allodialis ac feudalnis successio intuitu filiorum arcissimo coniuncta est vinculo?* Hoc in textu explicando ac interpretando qui desudarunt ICti, diuersimode hanc quaestione, saepissime iam agitatam, multisque altercationibus vexatam, dirimere annisi sunt. Diuersis enim inutilibus subdivisionibus, lex quas ignorat, seniel admissis, alter hanc, alter illam ruitus est sententiam, quarum quaedam magis, quaedam minus filios successores premit. Huic igitur controuersiae, doctorales honores capefurus, toto animo ac quam vberime me immiscere, in votis erat, quam nunc, scopo quum exciderim, solummodo breuiter attingere gestio; vnice expositionem textus huius veriorem ac interpretationem, quae, nisi fallor, nondum auctorē est facta, prorsus recentem, exhibitus; potissimum vero sententias quorumdam incidi subiiciam, in quantum alii iusto latius textus sensum extendere conati sunt, alii nimis angustis limitibus terminare studuerunt. Quod ut ita, ceu iuris cultorem decet, absoluarem, ea incessu via, quam illorum ICtorum equidem fugit schola, quos, silentibus legibus, iuris principia formare vel

po-

potius somniare tantopere iuuat. Peculiaribus scriptis hocce thema praecipue tractarunt: CASP. ZIEGLER Diss. de debitis ex feudo soluendis ad II. F. 45. Viteb. 659: CAR. ADOLPH von BRAVN Ob der Sohn das Lehn behalten und die väterliche Erbschaft fahren lassen könne, (Erlang. gel. Anz. v. Jahr 752. No. 24. u. 42. SCHOTT Iurist. Wochenbl. 4ten Jahrg. N. 1.) DANIEL NETTELBLADT Diss. de successore ex pacto et prouidentia maiorum ad facta ultimi defunctorum, licet eius heres sit, praestanda non obligato, Hal. 764. CAR. CHR. LAPPE (Praef. AEM. LVD. HOMBERG zu VACH Dissert. de patre vasallo liberis exheredatione vel inaequali feudi diuisione ne iure quidem Longobardico praeiudicante Marb. 770. IVST. LVD. BECHT. BOEHMER Diss. de filio vasallo successore in feudum, Goett. 1778.

§. II.

Imum principium praemittendum.

Antequam vero ad verioris sensus determinationem laudati textus me accingam, necessarium ac ere visum est, duo iuris clientelaris principia praemittere, quibus meae sententiae defensio ita nictitur ac subfulta est, ut illis neglectis, me iudice, textus noster nec plene intelligi, nec solide explicari possit. Principium, procul dubio, principem quod tenet locum, illud sequens teneas: *Feudum semel pleno constitutum riteque acquisitum ad omnes primi intestiti descendentes, dummodo successionis feudalis capaces sint, in infinitum tenore sanctionis iuris beneficiarii secundum*

secundum successionis ordinem, siue hic originem ex ipsa Legum immediata dispositione trahat, siue speciali Lege inuestitutae introductus sit, ita deuolutur ac transit, vt hi iure quaesito et irrevocabili gau-
deant a) simulac prima inuestitura peracta est.

§. III.

Huius propositionis veritate concessa, nemo non qui concedet, leuiter solummodo iuris feudalis pertinetus principiis, sequentia iure meritoque exinde deducere licebit consecutaria. Illum, feudi pos-
sessorem, vnquam circa feudum quicquid qui molitur, illis quod praeiudicio esse potest, aliquando quos manet beneficii feudalis usus, suos successores laede-
re. Leges igitur, iustitiae qua custodes, eiusmodi con-
natus ac molimina vasallorum iniusta defendant, ii-
isque nullo modo patrocinentur, necesse erit. Succe-
fio ideo, prima in inuestitura semel quae aut expre-
sse placuit, aut quae introducta iure praesumitur, illa
salua

a) Probatur hoc Thema per I. F. 8. *Sequitur de successione feudi videre,*
*Si quis igitur deceperit, filium et filiabus superficiibus, succedit tan-
rum filii aequaliter, vel nepotes ex filio, loco sui patris, nulla ordi-
natione in feudo manente et valente II. F. 55. — has edictali, deo
proprio perpetuo cultura, lege sancimus: ut nulli liceat feendum to-
rum vel pariem vendere vel pignorare vel quocunque modo distrahere,
suum alienare, vel pro anima iudicare, sine permissione illius domini ad
quem feendum spectare dignoscitur.*

II. F. 31. ad eius petitionem admittuntur, qui quarto gradu
sunt remori ab eo, qui id acquisiuit, et etiam usque ad infinitum.

I. F. 14. §. 1. — praedicti fratres vel nepotes per inuesti-
tum patris et aui in beneficium succedunt.

II. F. 2. Proles enim feminini sexus vel ex feminino sexu de-
scendens ad huiusmodi successorem adspirare non potest, nisi eius con-
ditionis sit feendum, vel co pacto acquisitum. II. F. 8. II. F. 39.
(§. seq. not. b.)

salua ac illibata quolibet a possessore ita est relinquenda, omnis ut de illa mutanda ac transformanda dispositio qua iniusta ac inualida ipso iure ut corruat; nulla quoque distinctione admissa, an dominus feudi ipse, an vasillus, consentiente domino, illam mutationem*) usurpare conatus sit, nec ne. Quod iuris nostri principium de successionis mutatione defendi ac tuitus sum, illud quoque toties patietur applicationem, quoties de iactura sive totius beneficii, sive cuiusdam solummodo emolumenti, vlo modo quae beneficium deterius reddidit, ille questus est, a momento primae investiturae, (licet tunc temporis adhuc nascituris annumerandus), iure qui potitus erat quaeſito, tunc in feudum succedendi, ordine successionis illum aliquando vocante.

§ IV.

Quae iuris principia nihilominus quoque tunc immutata applicanda erunt, etiam si primus investitus, prima investitura iam plene consummata, feudum repudiaret, ac de novo, sub conditione mutandi ordinis succedendi, aliasque indolis, a domino ut investiretur, curaret. Quum enim (sec. antec.) primi investiti omnes descendentes, etiam nondum nati,

*) De casu quo, rei publicae salute id urgente, vasillus immo absque domini consensu, principis auctoritate subnixus, novum succedendi ordinem introducere potest, iureque pollet, hoc loco non loquitur, partim quoniam hic de iure priuatorum solummodo agitur, partim quia iste casus in feudis priuatis, si statibus provincialibus discedas, vix cogitari potest, BOEHMER Princip. I. F. §. 149.

B

nati, extemplo, simulac prima inuestitura omnibus modis est absoluta, ius quaeſitum ac irrevocabile, olim si ordo illos vocaret, in feudum succedendi, naeti ſunt; primi inuestiti renunciatio nil magis quoque operari valebit, illis refutationibus, quibus forſan ſequentes ſuccelfores ſibi ſuisque ut consulatur cupiunt b). Non equidem me fugit, orbe in iuridico eſſe viros, quorum honori famaeque quid detrahere nunquam auderem, iura latioris ambitus primo acquirenti qui largiti ſint, quam quae in ſuccelfores cade-re ſolent. Haec vero erronea ſententia exinde originem trahere videtur, ea beneficia primo inuestito accepta ut referant ſuccelfores, illius defenſores dum volunt, quae tamen vnicē tenore ac prime inuestiture beneficio ad omnes primi inuestiti deſcendentes redundant. Horum virorum caſtra recentes iuriſ nostri antiftites adhuc qui ſequuntur, discriminis non ſat habuerunt rationem, quod inter *primum inuestitum ac primam obuersatur inuestitram*, quae utraque tamen pie ac caute a ſe inuicem ſunt diſcernenda. Iniuſta igitur, legibusque non ſubfulta ratione aeris alieni a primo inuestito conflati ſolutio ſuccelforibus iniungitur, ac mutatio ſuccedendi ordinis, a primi inuestiti diſpoſitione profecta, rata non eſſet habenda. Icto enim eſt indignum, illum que dedecet, acquitatem quandam affectare, quae

a

b) II. F. 8. Meliorē namque conditionē ſeu liſ facere potest, deteriorē vero ſine domini uoluntate, vel eorum agnatorum, ad quos per ſuccelfionem pertinet, facere non potest II. F. 39. Alienatio feudi paterni non valer, etiam domini uoluntae, niſi conſentientibus, ad quos beneficium quandoque ſit reuertſurum.

a legibus abhorret, iustoque durior erga alteram partem ut sit, quaeque desiderat.

§. V.

Idem principium.

Alterum quod in introitu meae dissertationis tam merito sibi locum vindicat iuris clientelaris principium, spectat indolem successionis feudalismi, vbi ICtum imprimis rationem habeat oportebit: *Successionem in feudum esse successionem singularem, non vero hereditariam c), beneficiaque feudorum non titulo vniuersali sed singulari deferri.* Distinctius vero character singularis ac vniuersalis successionis potissimum eo quum nitatur discriminine, ut successor singularis certa solummodo iura, certaque tantum, eius, cui succedit, obligationes nanciscatur, in successorem feudalem illae quoque solummodo obligationes illaque iura devoluantur necesse erit, quae feudo tam arctissime inhaerent, quilibet ut possessor seu successor, immo inuitus, ea subire teneatur. Heres autem seu successor vniuersalis iuris vniuersitate potitur, cuius naturae indolisque ulteriori indagatione, ne tironem dum latet, facile supersedebo. Contingere igitur non solum potest, sed quotidiana experientia quoque docemur, defunctos vasallos utriusque generis successores ita relinquere, alii ut feendum qua successores singulares acquirant, alii e contrario qua heredes vniuersales in vniuersitatem iuris defunctorum personam nunc quasi representare videntur, succedant. Multum igitur abest, successio-

B 2

fio

* Confer illistr. MADHNII *System. I. R. P. IV. §. 3.*

sio ut feudalis cum successione hereditaria seu allodiali tenore legum feudalium coniuncta sit semperque cohaereat, ut potius (ceu ipse noster textus clare ostendit), successori feudali integrum sit, allodialis si successio forsan eundem quoque tetigisset, hereditatem allodiale repudiare, feudo salvo ac integro nihilominus retento.

§. VI.

His ex antecedentibus nunc prono alueo profiscitur illa conclusio: illas obligationes vnicce cadere in successores feudales, quas antecessor iure illis, siue sint descendentes siue agnati, siue simultanee inuestiti, iniungendo ac obtrudendo par erat; successoremque feudalem qua talem nunquam teneri, aes alienum defuncti vasalli expungere, seu vt magis generaliter loquar, facta hereditaria nulla praestare. In euoluendo ceterum discrimin'e factorum feudalium ac hereditariorum ideo non amplius commorabor, ne criminis prolixitatis inutilis euadam reus, cuius ille certe me argueret, sanctae Themidis limina qui sollemmodo salutasset. Filii igitur, eodem iure quae-sito et irrevocabili in feudum gaudentes, (C. 3.) qua successores feudales, de regula quoque illi obligatiōni obnoxii non essent, patris defuncti vasalli facta praestandi, aesque alienum conflatum soluendi d^r, nisi illos per hereditatis aditionem qua allodiales successores hoc simul premeret afficeretque onus.

§. VII.

*d) Conspicat HENR. COCCETII in Diss. de f^undo hereditario mixto.
Francof. ad Viadr. 1701. §. 9. et 31.*

§. VII.

De successore ex pacto et prouidentia maiorum.

Haec, modo quae defendenda exhibui, solummodo tunc valent, si de eiusmodi successore quaestio agitur, in feudum, *ratione successionis, regulare successuro.* In feudis enim hereditariis, et quidem ratione modi hereditariis, alia iuris clientelaris valere principia, non est, quod moneam. Hancenius igitur dicta quae sunt, tunc solummodo vim suam exercere debent ac applicari poterunt, *in successorem, ex pacto et prouidentia maiorum,* ceu semel Ictos loqui iuuat, succedentem. Qua vero denominandi ratione ego semper abstinebo, quaque solummodo ideo consulto vhus sum, tam, quo intellicherer, quam quo erroneae denominationi suffragium denegandi copiam nanciscerer. Hic enim vhus loquendi, sit quoque quam maxime communis et tristissimus, non congruit ac respondet verbis, verborumque significationibus. Successionem eam, cuius beneficio vasallus bonis potitus est, de quibus primus acquirens pro libero suo arbitrio disponere poterat quidam e) salutant hereditariam, ea vero, quae largitur bona sub conditione restitutio secundum horum vsum loquendi peruersum, audit *ex pacto et prouidentia maiorum successio.* Hac verborum significatio semel adoptata, distinguunt nunc feuda in hereditaria ex pacto et prouidentia maiorum acquisita.

B 309 vobis obsequio Alia

*) *VI NETTELBLADT* cit. disl. § 1. *bona ex pacto et prouidentia maiorum vulgaribus oportet.* Sed vulgaria bona etiam restitutio in obnoxia esse possunt, et postea gentilium essent opponenda p. c. fideicomissa familiae vulgaris et gentilium.

Alia ICtorum scholaf) alias hisce verbis subducendas
cupit significaciones, dum id feudum, *in quo succeſſio*
feudalis obtinet ex pacto et prouidentia maiorum
laudant, id vero ubi feudalis succeſſio exulat, et cede-
re debet succeſſioni legitimae hereditariae illorum, qui
a primo acquirente descendunt, feudum hereditarium
dicunt.

§. VIII.

Continuatio.

Displicuit, displacebit, semperque haec distin-
guendi et denominandi ratio propterea displacebit
quod 1) intuitu prioris distinctionis restitutio si ex
legum dispositione subeunda est, dici nequeat, hanc
restitutionem per pactum et prouidentiam maiorum
ordinatam contingere, quum immediata legis dis-
positio inconcinne et perfinestre sub nomine parti et
prouidentiae maiorum, prorsus ad illam non qua-
drante, usurpatur, 2) ita etiam, si restitutio legati vel fi-
deicommissi iuris romani iniungitur et fieri debet,
eadem ex pacto et prouidentia maiorum fieri dici pos-
set, ne taceam, hanc, distinctionem non ita absoluere
omnes modos, nulloque modo contradictione op-
posita continere, ceu docet Logica sancta, per gra-
ue contra artis determinationis regulas sic ut pecca-
rint ac impegerint iuris doctores, 3) feuda etiam he-
reditaria esse, cuius restitutione obstricti sunt vasalli,
in quae ergo nomen feudorum hereditariorum ideo
solummodo cadere potest, iis quod restitutio est fa-
cienda,

f) GE. LVD. BOEHMER *Princ. Iur. feudal.*, §. 130. FÜTT-
MANN *Elementa Iurū feud.* §. 122.

15

cienda, quos successio hereditaria Iuris romani vocaret, non admissa sed spreta Iuris clientelaris sanctione. Quod vero 4) alteram ad distinguendi rationem pertinet, illa non secus vacillat ac claudicat priori. Vtraque enim laborat iusto ac vero diuisionis fundamento; ideoque non possunt non exinde generari falsae generis, male diuisi, species. Omnibus enim in feudis, vbi successio feudal is occurrit, vimque suam exerit huius successionis ordinem a legibus profectum esse, illisque originem debuisse, nullus inficias ibit, sed ambabus largietur. Hoc semel vos si iuuaret, natales quod legum tenori debet pactum et prouidentiam maiorum nominare, quid impediebat, quo minus, haec loquendi peruersa methodus vos non tunc sequuta sit, alias doctrinas explicando si defudastis? cur, amabo vos! successionem iuris ciuilis romani legitimam seu ab intestato non idem tribuistis nomen, quod ad aetatem successioni feudali palmas adeo quae eripit? hercule haec successio, Nov. 118 et 127. introducta, sicuti Iuris honorarii illa bonorum possessio eodem iure hanc denominacionem sibi arrogare possent. Id ceterum perlubenter largirer, quod quoque supra monitis (§. 2.) prorsus respondet, omnino verum esse si in prima iuvestitura nullus aliis succedendi ordo a domino et primo iuvestito stabilitus fuerit, ordinem succedendi legitimum et ordinarium hisce placuisse censerri ac praesumi, sed, pace vestra, repetitionem non detrectans, sit dictum, incongrua, verborumque a sensu plane abhorrenti, vbi estis loquendi ratione; quod ut magis in oculos lese ingerat, ex vobis quaero, successio-

nem

nem legitimam, illo in feudo quae introducta est, quodque ideo *informis* feudi prae se fert indolem, quia praescriptio vicibus inuestiturae esse defuncta iuris clientelaris auctoribus videbatur, eamnam quoque hac denominatione splendida *ex pacto et prouidentia maiorum* dignam iudicabitis, an illius expertem ac quasi exsulem damnare, magis arridet? Meo igitur iudicio si quid ponderis inest, secundum verborum propriam ac genuinam significationem, successio ex pacto et prouidentia maiorum ea solummodo recte donominanda est, quae non obtinuerit, nisi tale pactum, talisque prouidentia maiorum, per quod illi quasi via strata est, aderat. Feuda igitur ea omnia, vestra sic dicta hereditaria, tam quod ad modum successionis, quam respectu personarum succendentium, et in generé feuda ratione successionis *irregularia* iure maiori hocce nomen *ex pacto et prouidentia maiorum* usurpare ac sortiri possent, dum eiusmodi successio non obtineret, nisi legitimo ac communi successionis ordini per maiorum pacta, contractui feudalii primaeque inuestiturae consilio et non sine prouidentia adiecta, derogatum esset. Sic eae dispositiones, quibus peculiarium bonorum species, fideicomissa scilicet introducta sunt, potiori iure, quae pacta et prouidentia maiorum laudentur dignae essent, idque non sine ratione, dum ordo communis eiusmodi per pacta plerumque sublatus est.

§. IX.

§. IX.

Mea explicatio textus II. F. 45.

Sat demonstratum (§. 3.) dedisse equidem puto, nullum successorem in feudum *qua talem* obligatum esse, facta ad defuncti vasalli praestanda, quae feudalia dici nequeunt, seu quae non eius sunt indolis, quaelibet ut possessor ea illa ita legitime suscipere pollebet, suos ut successores illis redderet obligatos. Ne filium igitur, tenore huius regulae generalis iurisque clientelaris principiorum fundamentalium, necessitas virgeret, facta patris allodialia agnoscendi. Huic vero regulae generali dispositione proflus speciali, filiis quam maxime odiosa, derogatum esse, patet e textu nostro II. F. 45. legislatore enim iubente: *filius ut sine allodio ne feudum habeat, et ut allodii repudiacionem feudi iactura ac priuatio ipso sequeretur iure; ergo ut filius aut vitrumque nanciscatur, aut utrique renunciat.* Medicinam quidem, sed quam vnicam huius iacturae quasi praebuit, si nimis forsitan filio feendum arrideret, puta: ut recenti inuestitura, domino a facili petenda, noua ex gratia se inuestiendum ita curaret filius, ut nunc feendum respectu sui, de novo inuestiti, naturam noui indueret beneficii. Allodii cum feudo arcta compages expressis textus verbis tam clare desideratur, *Innulla ut exantlatione vberiori indigere videantur, sed rationem quare legislator hocce filiis iniunxit, non eandem in medium protulerunt iuris nostri interpres, quorum quidam tam sinistre interpretati sunt, quorumque tantam discrepantium inuenire licet;* alii dum extensiua fouerunt,

C

inter-

interpretationem, alii dum restrictiuae suffragium tulerunt, ut obsitam densamque atra caligine syluem ingredi hodie animus horreat. Quod ad me, huius sanctionis, II. F. 45. ratio et quae vnicula eo niti semper visa est, acs alienum ab ascendentē contrāctum filius vt solueret, ne honori patris maiororumque suorum quid maculae aspergatur, sed illibatum saluumque illum filius sustineret g). Quicquid igitur qua defuncti aes alienum non spectandum, illud etiam filius soluere non tenetur, omniaque facta patris, quibus pater feudi mutationem ac deteriorationem molitus est, quaeque ad aes alienum, proprio in sensu contrahendum, non tendebant, filius qua inualida ac iniusta, nulloque modo a se adimplenda, iure meritoque impugnabit, beneficium suum, patri quod non acceptum tulerat, quid detrimenti ex factis, iniuria ac forsitan temere suscep̄tis, vt sentiret caperetque non passurus. E contra vero, quoties ex negotio quodam, intuitu feudi aut allodiī suscep̄to, aes alienum contrāctum est, seu obligatio solummodo ita resoluta potest, vt quid aeris alieni sapiat speciem, toties etiam filii tenentur ex feudi fructibus haec debita soluere. Hinc si pater non solum extra omnem relationem ad feudum; sed etiam intuitu feudi v.c. propter seruitutem feudo impositam, propter dationem feudi in emphyteusia, propter consensum in mutatum successionis ordinem qui alias obtineret, propter refutationem ac renunciationem, etc. quicquid accep̄t, filii illud reddere et aestimationem eiusdem

prae-

g) confer CIVIAC. ad hunc titulum, de BELVISO ad eundem et INTRICIONI tractatum.

praestare debent. Seruitutem ipsam vero feudo impositam, dationem in emphyteusin, renunciationem, mutatum successionis ordinem, feudi alienationem etc. filii agnoscere et ratihabitione confirmare non obstricti sunt. Soluto igitur eo, quod eas ob causas pater et maiores acceperunt, filius potius recte iure que facta haec maiorum, quibus ius suum quae situm sublatum aut diminutum est, impugnabit. Hoc si filiis largiendum, si ad maiores lucri quid, suis de feudo ex dispositionibus redundauit, multo magis facta omnia maiorum, hi nil vicissim si naucti sunt, sed aut titulo gratuito mutationes de beneficio inierunt, aut citra conuentione immo de feudo quid moliti sunt, respectu filiorum qua inualida ac nulla corruent.

§. X.

Argumentis prolatâ corroboratur sententia.

Aeris ad alieni, a patre vasallo contraacti, solutionem nostri textus restringendam esse sanctionem, nulla que ratione aliorum ad patris factorum ratihabitionem esse extendendam, exinde nobis probatur, 1) quod compilator libri feudorum tam initio huius textus, quam in fine eiusdem expresse dixerit: *nec de debito hereditario aliquid feudi nomine soluere, licet ei, repudiatâ hereditate, feudum tenere, nullo onere hereditario imminentे.* Debitum et onus hereditarium h. l. debitis ac oneribus feudalibus, aut a quoconque aut a certo feudi tantum possessore soluendis, opponi, admitionis non indigebit. Feudi igitur coniunctio cum allodio in filiis manifeste debiti onerisque hereditarii paterni intuitu iussa est, haec ut vñica huius

nexus essent vincula. Filium igitur quasi adigere voluit legislator, aeris alieni solutionem ut subiret. Debitorum solutionem compilatorem quoque vnicesse esse amplexum hoc in textu condendo, id sat ostendit, quod in parenthesis se ad II. F. 8. referat, frustusque secundum distinctionem ibi evolutam in aeris alieni solutionem esse impendendos innuat. Onus hereditarium hoc loco solummodo onus necessarium, ceu dicitur, *h*), comprehendere, seu aes alienum, non vero onus hereditarium voluntarium (c. v. legata ac fideicommissa) simul amplecti, ex eo iam manifestum ac intellectu facile erit, quod onus paternum, seu quod patrem iam premebat illud laudaverim; cuius intuitu legata ac fideicommissa, quae ipse iniunxit restituenda, nullo iuris colore onera dici possunt; quippe quae quidem in iure hereditario si versamur, heredem qua necessaria obligatum tenent, respectu vero testatrixis quam maxime sunt libera.

§. XI.

2) Quod compilator expresse de solutione debiti hereditarii ex feudo, seu ut inquit, *feudi nomine* facienda, solummodo locutus sit, non sinistre eiusmodi sensus erui potest, obligationem defuncti allodialem, cui ex feudi fructibus ut satis fieret singuli omnesque fructus non sufficiunt, filium, in feudum successorum, non sequi. Si igitur v. c. pater titulo gratuito feudum refutasset, successioni pro se suisque renuncians, seruituteque feudum onerasset,

b) Praeceptoris doctissimi MADIBHNII Princ. Iur. Rom. P. IV.
§. 201.

debitum et onus hereditarium paternum, id ventilare, hasce ad dispositiones non quadraret, et dum feudi nomine filius earum adimpletionem subire non tenetur, nulli obligationi obnoxium ac reum iudicare. 3) Quod haec dispositio II. F. 45. legem correctoriam singularem quidque priuilegii odiosi, continet. Recedit enim quam maxime a iure anteriori, cuius ex tenore filius integrum hereditatem paternam repudiare, feudum vero ita acquirere poterat, ut nomine feudi ne quidem quid oneris ac detrimenti illum maneret. Recedit et quam maximie ab omni analogia, iurisque recentioris regula communis, quippe quod quam saepissime quasi inculcat, in feuda vasallos non ultimi vasalli gratia, sed primae inuestiturae beneficio semper succedere (§. 2. not. a.). Antiquioris igitur nostri iuris sanctio ne nil impedit, quo minus non solum fratres sed etiam ipsis filii noua ex gratia inuestiti integra hereditate patris abstinerent, feudoque fruerentur. Correctoria igitur haec singularisque dispositio ultra causum correctum ac expresse definitum, ultraque verba expressa nulla ratione extendenda erat, sed potius ita explicit cordatos oportebat Ictos, ut quam minime, quatenus verba ac legislatoris ratio finisque id patiuntur, a regula et dispositione ceterarum legum recedat explicatio, Hoc concessio, illa igitur interpretatio palmam ceteris ut eripiatur meretur, quam filii quam minimis premuntur incommodis.

§. XII.

4) Quod ratio huius dispositionis, ceu, si non omnes, attamen plerique testantur et agnoscunt, illa esse videatur: honos ut patris a filiis conseruetur. Quum vero patris honos inde non laedatur, factum patris filii si impugnant, liberi quoque, dispositiones ascendentium irritas reddere conantes, nostri textus sanctionem non illudent. Nulla vero, me iudice, veritatis specie contendи potest, honorem paternum a filiis esse neglectum, spretumque, eas dispositiones de feudo ratihabere si detrectant, quibus pater liberis adeo suis, contra pietatis dulce officium, quid praeiudicij inferre ita molitus est, ut ne vicissim eiusmodi ex conamine quid lucraretur. Perspectu quoque quam difficillime semper erat, qui patris honos laedatur, si testamentum patris, quo successionem secus stabilire studuit, si alienationem feudi gratuitam, si seruitutem feudo titulo gratuito impositam, si refutationem feudi etc. quasi iniusta conamina liberi impugnant. Licet enim id quoque precaria solummodo ratione assumatur, dum opinione praeiudicata subfultum est, honorem patris inde quid laisionis esse sensurum, filius si expunctionem aeris alieni a patre conflati non subiret, licetque unice redoleat compilatoris erroneum i) arbitrium, hoc quoque omnia si darem, nonne magis expediret, errores semel radices qui egerunt, tantopere extirpare, quam res patitur, quam errores erroribus cumulare. Teneatis igitur, ambabus cedo, vos aequitatis lacte

nu-

i) Ut recte id ostendit de BRAVN citat, Comment. (SCHOTT Juristisch. Wochenblatt. S. 7.)

nutriti iuris cultores, teneatis, quae vobis tantopere ad palatum videntur, sed ne iusto duriores erga filios vos praebeatiss, velim. Cauetis, a via ne deflectatis iuris, leges interpretationibus vestris arbitrii despiciatii dum habetis, neque eas sanctas cauilletis, quas interpretari gestitis. Denique s) obligationem filiorum aes alienum patris expungendi eatenus iniunctam cupio, quatenus feudi fructus huic sufficiunt oneri, quae mea sententia plurimorum DD. quoque tulit punctum. Quaecunque igitur obligatio, fructus quae excedit, quamque ex fructibus adimplendo filius non par est, ea quoque non premet filium per II. F. 45. ex qua nunc rursus apparet, omni in relatione filios non euadere patris heredes, sed tantum eatenus obligations patris esse adimplendas, quatenus id, salua feudi substantia ex fructibus, eum in finem impendendis fieri potest. Reliquas igitur quod ad obligations creditorii non tenebatur filius.

§. XIII.

Quae ab aliorum sententiis recedit.

Ictorum k) igitur 1) non adstipulatus sum sententiae, qui cupiunt, II. F. 45. initio intelligi debere

k) HARTM. PISTOR, Lib. 2. *Quaeſt. p. 1. qu. 2.* ROSENTHAL,
de feud. cap. 2. concl. 33. cap. 8. concl. 20. CAR. a KIRCH-
BERG *Difcuſl. de feudo ex pacto et pr. uid. et de feud. hered. c. 3.*
n. 80. BERLICH *P. ad concl. P. 2 concl. 5. 55. 56. Hanc sen-*
tentiam etiam eameras imperiaſi ſalutis of m. p. cuiusſe reſervat. Gail.
Lib. 2. Obs. 204. MYNSING *Cenr. 3. Oſ. 61.* SCHRADER
p. 7. c. 5. et alii. Refutarunt condemniam BITSCHIVS ad hunc
textum. PISTOR l. c. Merenda Conſerv. Ias Lib. 6. Cap. 15. de
BRAVN l. c.

bere de feudo antiquo, seu paterno, in fine autem legislatorem loqui de feudo nouo; adeo ut filii, in feudum paternum succedentes, etiam eius hereditatem adire debeant, pater si id qua recens acquisiuisset. Eorum vero sententia statim refellitur, quod in eodem orationis contextu dicatur, *quo repudiato ad agnatos, si paternum sit, pertinebit, et quod liberi, consentientibus agnatis, ex noua gratia inuestiti repudiata hereditate absque onere hereditario sibi imminentे feudum, nihilominus retinendi iure gaudent.* Illi 2) sententiae album ut adiicerem calculum, quoque a me nondum impetravi, quae dispositionem huius textus, quatenus liberorum successionem respicit, de feudo solum, ratione modi, hereditario intelligendam esse autumat. Nam nec volam nec vestigium in textu nostro ut reperiрем equidem mihi nondum contigit, sed persaepissime legislatori obtruditur, quod ut verbis inesset, interpres sinister auet. Potius, quod fugitivo adeo oculo patet, expresse ait iuris beneficiarii auctor: *feudo a liberis repudiato, illud tunc ad agnatos perueniet* 1), quod non quadraret, ac quam maxime incongruens esset, si de feudo hereditario, sive ratione modi, sive ratione personarum, sanctionem condere constituisse. Ut de cetero taceam, ius Longobardicum quasi ignorare feuda hereditaria, et II. F. 26. §. 23, solummodo de feudo locutus est alienabili. Multo minus 3) nomen darem eorum m) castris, ita hunc qui interpretati sunt tex- tum,

H BITSCIVS PISTOR. vid. locc. citt.

m) Sic in Constit. Elect. Saxon. AVGVSTI part. 2. Const. 47. dicitur. Nach gemeinen Rechten muß der Sohn des Vaters Erbe zo-

tum, vt filius successor in feudum hereditatem quidem simul adire teneatur, et ita quasi ex contractu debita patris illum simul premerent, sed *tatenus solummodo*, illis expungendis *quatenus* allodium sufficiat; adeoque filius beneficio inuentarii vt tantum adiret allodium, sibi prospiceret. Bona verba! filius legibus obtemperat, et sibi simul consulit. Praeclera mehercules interpretatio! nodum tricatum tam bene solutura. Filius legibus obtemperat, sed quo modo? omni vt destituantur ratione. Nonne enim creditoribus perinde erit, an a filio an ab alio? an a filio volente, an e massa concursus crediti sui solutionem sperare debeant, dum vtroque in casu, ultra allodii vires frustra cum filio successore experientur. Cur enim, quaero ex te, legislator! allodii cum feudo iussisti coniunctionem, successio filios si tangit? an forsitan iuris allodial's adeo expers eras, vt fureret te inutili nunc tulisse legem. Creditoribus enim quod iuris feudalnis beneficio larga manu indulsum putas, illo iam dudum iuris civilis priuati tenore gavisi sunt. Patrimonium enim allodiale debita si superant, ac excedunt, textus tuus benetiolus quoque si non adeset, creditoribus cessurum, haec quem laterent.

§. XIII.

Modo, quas recensui sententias seu opiniones, nimis filios quae souent, aliae excipient, nimis iusto-

gleich mit sein, da er die Lehnsgüter von ihm ererben will, und kann sich der Erbschaft nicht äussern, es sey denn feudum ex pacto, und er thue sich der Erbschaft mittelst eines gebührlichen Inuentarii unterfangen.

D

iustoque grauius filios onerantes ac prementes. Sunt enim Iuris nostri antistites, defendere qui non erubuerint, per II. F. 45. indistincte filios esse obligatos, omnia patris facta ad praestanda, discriminis nulla ceterum habita ratione, hacce facta an feudum an alodium concernerent. Tam late si interpretandum esset illud priuilegium filiis tam odiosum, tunc omnino filiorum intuitu successio feudalis cum haereditaria tam arte cohaereret, illa ut prorsus allodialis naturam induat. Huius sententiae defensores filiis igitur obligationem obtrudunt, maioratum, primogenituram vel consensu patris introductam, vel per testamentum patris n^o) introducendam, habendi ratam. Ut filii acquiescant pater si illos exheredasset ac inaequalem feudi diuisionem o) esset molitus, volunt. Seruitutes feudo impositas, usumfructum nec non emphyteusin p) in feudo auctoritate patris constitutam, consensus filialis sequatur, iubent, et ut paucis

m) GEORGE MELCHIOR de LUDOLF de introd. iur. primogen. Part. sp. c. apb. 7. 10. 11. G. L. BOEHMER Princ. iur. feud. §. 147.

o) IO. GOD. BAVER Diss. de Vasallo exheredante, (Lipz. 729.) §. 10. G. L. BOEHMER vñ i summi nomini. Principia I. f. §. 496. ed. 2. quem ramen recentiori in-editione, cœn decet illum, quem non puder erroris, ab hac receisse sententia gaudio. Hanc opinionem ex instituto ref. taxuit, CAR. CHR. LAPPE Diss. cit. §. 1.

p) G. L. BOEHMER illustr. Princ. I. f. nou. ed. §. 263. qui ramen sibi non conflar, quum poslea, §. 296. usumfructum tantum valere in præciad cium liberarum, si pater eos in tantum quod ad alodium honorasset. Neque silius præterire V. P. BOEHMERVM sibi ipsi contradicisse, si sec. II. 45. si um heredem patris endare. contendit et §. 276. defendit, filium feudum a patre alienarum, solito pretio, pater quod accepérat, retrahere omnino valere, ea scilicet ut sibi usum est, varione, quantum in hoc retrofatu non tam de factis patris impugnandis, quam de iure sermo esset.

ei⁹ rem absoluam, omnia filiale⁹ pietatem pati, cu-
piant aduersarii. Denique 5) nec eorum q) senten-
tia mihi probatur, qui quidem paternas dispositiones,
quibus successio, primae inuestiturae auctoritate quae
valeret, interuertitur, ratione liberorum iam natorum
qua inualidas ac in uistas declarant, horum si conſen-
ſus deficeret; respectu autem liberorum, aura vitali
tunc temporis nondum qui fruiti erant, omnino ita
eiusmodi dispositiones valere, putant, vt ad de-
negatam illorum ratihabitionem non sit atten-
dendum; sed potius maiorum voluntas firma ac im-
pugnata eſſet tuenda. Huius vero differentiae ra-
tionem terminumque medium me nondum perspe-
xisse, ingenue confiteor. Nati enim ius suum suc-
cessionis non debebant spiritui vitae, sed primae in-
uestiturae. Omnibus enim descendantibus primi in-
uestiti aditus ad feudum eo momento patebat, quo
inuestitura plene peracta erat, nasciturus nunquam,
quod ad ius ipsum, nato cedet, licet dem, illum quod
ad actualitatem iurisque possessionem omnino illi
cedere, aetatis respectu plerumque se priori. Nonne
iuris romani analogi⁹ consulere dum iuuat, quo-
dammodo, similis quid distinctionis eſſet, huius
iuris si quis antistites patris eisdem voluntates ultimas,
filios iam natos praetereunte⁹, qua inualidas ac
inofficioſas tollendas declararet, quae validae intuitu
posthumorum subsisterent.

D 2

§. XIII.

q) Pag. 72. Recens eius defensionem subiit inter ceteros SCHNAU-
BERTH Erläut. des Leburechts, 2te Fortſetzung, S. 487.

§. XIII.

Vni adhuc quaestioni, pauci quam tetigerunt, colophonem opusculo iam additus, breuiter adhuc occurram. Filius in feudum volens, in hereditatem vero ob II. F. 45, quam maxime inuitus qui succedit, solummodo ea facta patris praefat, quae aeris alieni nomine venire possunt. Sat hoc demonstratum argumentisque non futilibus corroboratum esse, mihi equidem, omnia nisi me fallant, videtur. Sed nunc quaeritur. Si filius, ante successionem feudalem, actu illi delatam, sponte patris hereditatem adiisset, an nunc ipso iure ea facta quoque paterna agnoscere teneatur, quibus ius suum aut prorsus sublatum aut valde laesum est. Omnino quid speciei veri prae se ferre posset, filium, semei paternae hereditati sese qui immiscuerat, qua patris heredem spontaneum, omnia eius ad facta agnoscenda ac adimplenda quoque ita esse compellendum; ut v. c. pater quae acceperat, conferre deberet, et ut ad avi hereditatem, cui pater pro se suisque descendentibus renunciauerat, adspirare non possit. Atramen a parte stare contraria magis ideo arridet, filius quod non eo consilio allodium a feudo separatum acquisiuit, vt illum, aliquando feudo si frueretur, virgeat patris *de feudo dispositio*. Allodio quidem sese immiscebat hereditatis aditione filius, quasi igitur contractu facta paterna agnoscendi obligatio inita erat, sed catenus solummodo, quatenus allodium non feudum spectabant. Fendum igitur ac successio feudalis, ab allodio et successione allodiali pie ac caute separentur, mea huius sententiae defensoris multum

multum, interest. Mecum, quod miratus sum quoque consentit r) Schnauberth.

r) Erläuter des Leburechis, 2te Fortsetzung, S. 448. Note 3. S. 478. n. 6.

THESES CONTROVERSAE.

- I. Dominium utile ac directum e iure eliminandum.
- II. Ius naturale rerum omnium ex notionibus non est deducendum.
- III. Non datur lex sine superiore.
- IV. Obligatio non recte definitur qua nexus motivorum cum actionibus.
- V. Non assumenda res nullius iuris.
- VI. In feudo oblato vasallus non potioribus gaudet iuribus feudo dato.
- VII. Ius circa sacra negatiuum consecularium iuris videtur territorialis.
- VIII. In doctrina de seruitutibus illum, qui confessio experitur; a probationis onere absoluo.
- IX. Ius protimiseos ac retraclus toto coelo differunt.
- X. Nego positivas leges diuinias vniuersales.
- XI. Differentia moralitatis materialis ac formalis ut obseruetur, legislatoris potissimum solummodo interesse potest, quem saepissime coincidant.
- XII. An recte contractus, qua pactum vestitum temporibus iam antiquissimis causam habens, definiatur, dubio obnoxium videtur.
- XIII. Consecularia non determinant actionum moralitatem.
- XIV. Aequitate abstineat Iureconsultum oportet.
- XV. Methodus demonstrandi caute in iure adhibenda.

V I R O
 PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
 AMICO SVO DILECTISSIMO
IOH. THEOPH. HENRICO PIRNER
 SVMMOS IN IVRE HONORES CAPESSVRO

S. D. P.
 OPPONENS ORDINARIVS
IOANNES FRIDERICVS KIRCHHEIM
NEOMARCHICVS

Merito beati praedicantur omnes illi, qui itinere molesto peracto, palnam sibi praepositam attingunt. Respicentes enim cursum emensum, recordantes voluptatis, quam in singulis molestiis atque periculis supereras fenerunt, denique laboris indefessi præmia accipientes, maxima animi voluptate et tranquillitate fruuntur. TV quoque carissime PIRNER! qui per quadriennium laurea Doctoris Iuris utriusque cingi, studiisti, moleustum sane atque iniunium stadium percurristi, sed, de qua re ex animo gaudeo, TIBIque gratulor, mox omnia curriculi TVI academicæ transilieris impedimenta, mox vultu sereno ex arduo a TE ascenso in viam peregrinam respicere, istamque voluptatem sentire poteris, quam sentit viator si, via peracta, domum suam reddit. Mox denique Themis, quam semper cultu assiduo prosecutus es Deam, eximiae TVAE diligentiae tribuet præmia splendida. Accipias haec bonus aubus, vitam felicem et ab omni calamitate remotam vsque ad cineres degas, meque in posterum amicitia TVA, cuius mihi Opponentis munus demandando egregium dedisti indicium, amplecti, mibique fauere pergas. Vale. Scripsi Francofurti ad Viadrum, d. XVII. Septembris MDCCCLXXXVIII.

DOCTIS-

DOCTISSIMO ET ORNATISSIMO
DOCTORANDO

IO. THEOPH. HENRICO PIRNER

FRID. HENR. LVDOVICVS GRAFFVNDER, OPPON.
NEOMARCHICVS.

Quum tot perficias et catenatos labores,
Perdere, heu! properas, quam fas est, largior vitam.
Nos TE, dum TIBI maturos largimur honores
Pro TVIS meritis, supremum carpare iter
Num videamus? Sic in publica commoda peccas.
Cur longis laboribus vis tua tempora, PIRNER,
Rumpere? et alteri seculo adimere fructus,
Quos sperat? — Mitras tabulas peccare verantes,
Quas bis quinque viri fanxerunt, Imperatorum
Pontificum libros, annofa volumina iuris.
Reficias nunc vires! — Praemium grande laturus
Victor procedes mox opponentium, quos vis
Prosternit acrior TVA: curriculumque inibis
Ingenio dignum, quod gratulor non lauisse.
Sint TIBI fata, TE seruato, faustaque nobis:
Nil amarum, nilque sinistrum experiaris.

CANDI-



**CANDIDATO AESTVMATISSIMO
AMICO SVAVISSIMO
IO. THEOPH. HENRICO PIRNER
DIGNITATES DOCTORALES CAPESSVRO**
 S. P. D.
 GEORGE HENRICVS KIETER
 SOLDINENSIS.

Etsi TE in cathedra publica stantem, et eruditissimam differentiationem, proprio Marte elaboratam, defendantem non videam; tamen suuvio officior gaudio, quod ex intima, quae mihi Tecum olim intercessit, familiaritate puerilis nostrae aetatis, oboritur. Nihil mili igitur opribilis vñquam contingere potuisset, nihilque iucundius, occasione hac exoptatissima, TIBI meum erga TE uisionem nunc testificandi. Et sane TVA amicitia esse indignissimus, hanc praelarum animi mei erga TE propensionem significandi occasionem praetermitterem. Si in praefenti nonnulla erga me documenta amicitiae enarrare vellem, satis materia scribendi esset, sed silentio haec prætereo. Gratias itaque TIBI ago, quod me olim in numeris amicorum TV Orum recipere non reculaueris. Non potui igitur non, quin meis TE prosequar votis. Superfluum quoque esset, diligentiam tuam omnibus in doctrinis hic celebrare. Quis enim est, qui TVAM impensam assiduitatem ignoret? Paucis vero, sed ex intimo et haud fucato animi affectu profectis, TIBI gratulor. Summo numini pia vota precesque fero, vt per longum temporis spatium saluum ei incolument TE conseruet, efficiatque, vt non solum ex TVA eruditione uberrimos percipere potes fructus, sed multis litterarum amantibus, aliquando utilia praestare possis officia. Quod supereret, adhuc rogo, vt ne amicitiae nostrae puerilis aetatis obliuiscaris. Vale mihi que fauere perge. Soldini Idus Septemb.

VIRO

V I R O
NOBILISSIMO ORNATISSIMO
IO. THEOPH. HENRICO PIRNER
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORANDO
CONSULTISSIMO DOCTISSIMOQVE
AMICO SVO
S. D. P.
IO. THEOPH. SCHVLZ
NEOMARCH. DROSEN SIS

Si qua artium liberalium maiora suis cultoribus afferre solet emolumenta; tunc profecto reginam omnium scientiarum esse philosophiam, neminem, nisi huius artis imperitum, qui ap̄biget, opinor. Haec enim, quae originem suam ex ipsa natura trahit, optima selectissimaque nobis suppeditat media, quo facilius ac cirius alias omnes scientias addiscere valeamus. Omnium rerum natura cognita, quippe ab immortalis natura inculpta in immortali intellectu, videmur eandem esse hominum legem, neque eorum ingenio excogitata, nec scitur aliquod populorum, sed aeternum quidam, quod vniuersum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientia. Homines igitur sua per natura legibus mansueti, quam cognitionem Aristoteles ita exprimit: ἀνθρώπος, ζων ἡμέρην φύεται. Nam natura quiclibet mortalium legibus adstrictos obdire oportet; quod, ut Cicero ait: stirps omnis iuris est natura. Nam in ea latent omnium mortalium regulæ, regum, ipsaque Deum, ex quibus, si inter aequales ac potentiores lis oritur, ea diudicatur. Si hancce stabilem scientiam rerum teneamus, seruata illa, (quae quasi delapsa de coelo est, ad cognitionem omnium) regula, ad quam omnia iudicia rerum diriguntur, numquam nullius oratione vieti, sententia desistimus. Sic ex philosophia leges atque iura orta. Omnia haec vel maxime Honorandus argue *Colendus Dominus Doctorandus*. Qui et summan in addiscenda Philosophia eiusque viti — Iurisprudentiae — adhibuit operam. Quae cum ita sint, T. I.
 E. B. I,

BI, AMANTISSIME AMICE! maximum honoris culmen con-
scendentis, in summa deuotione meas offero gratulationes. Deus fa-
xit, ut Votis TVIS, nonnunquam congruerter viuas, faxit, ut
in optimis sanitatis longam viuas vitam, ut et modo TV aliis, li-
teris vacantibus prodeesse possit. Haec vota, haec desideria mea. Va-
leas! sis faustus atque felix, haud meique absens immemor. Traiecti
cis Viadrum a. d. XXIII. Kal. Septembr. 1715 CCLXXXVIII.

MONSIEVR ET TRES CHER COVSIN!

D

uis-je saisir une occasion plus propre à VOVS manifestier
publiquement les sentimens de tendresse et de reconnoissance dont
mon coeur est pénétré pour VOVS, et sur lesquels VOVS avez ac-
quis de si justes droits, que la circonstance actuelle, destinée à
récompenser VOTRE application et VOS talens? Non, je me ferois
conscience de la laisser échapper. Vous savez, que de tout temps
j'ai eu pour VOVS l'affection d'un frere et vous n'ignorez pas,
combien ma joye fut grande, lorsque mon père, qui vous a tou-
jours regardé comme son fils, en vous unissant à moi par des
liens plus étroits, me fournit par là l'occasion de profiter de vos
lumières. Soyez persuadé qu'il n'est personne au monde, qui se
réjouisse plus que moi, des succès heureux dont VOS travaux vont
être couronnés, et qui prendra un intérêt plus sincère à tout ce
qui pourra VOVS arriver encoré d'honorables. Conservez moi VOTRE
amitié, et penlez, que rien au monde ne pourra jamais changer
celle, que mon coeur VOVS a vouée à si juste titre. J'ai l'honneur
d'être avec considération et l'amour la plus distinguée

MONSIEVR
ET TRES CHER COVSIN

Votre
tres humble Serviteur
et tres sincere Cousin
HENRY ALBERT de ZSCHOCK.

Frankfurt a. O., Diss., 1776-97

ULB Halle
007 520 611


3



N 718



B.I.G.



DISSE⁷⁰⁶
TATIO
INAVGVRALIS IVRIDICA

IN
II. F. 45.

1788

17

QVAM
QVO ADITVS

AD GRADVM AC HONORES
I. V. DOCTORIS

SIBI PANDATVR

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XXII. SEPTEMBRIS CCCCCLXXXVIII
HORA X.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

IOH. THEOPH. HENRICVS PIRNER
NEOMARCH. SOLDINENSIS,



TRAJECTI CIS VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.